



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo animalia ebria manibus capi possint. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

tas, vt ipsis mansuescat, & aliquando iuxta eas in somnum delapsus capiatur, ligeturq; : iuuenem aliquem robustum venatores puellæ instar vestiunt, & aromatis aspersum statuunt è regione loci, in quo monoceros fuerit, vt odoris suauitas auræ statu ad beluam derivari possit, ipsi interea occultantur, fera odore illecta ad iuuenem accedit, ille manicis amplis, & odoratis feram obuelat, venatores accurrunt, & cornu refecant.

Ad congregandum mustelas.

Fel stellionum in aqua tritum mustelas congregare dicit Plinius. Imo chamæleontis felle in aquam coniecto mustelas contrahi scribunt Magi Pliniani.

Ad congregandum mures.

Si amuram spissam patinæ infuderis, & in domo recto posueris, adhærebunt, ex Palladio. Si amurcam, inquit Anatolius, in æneam peluim infuderis, eamque in media domus parte reliqueris, noctu mures congregaueris omnes.

Vt conueniant pulices.

Ericij falsi, & in aqua feruente innatans collecta pinguedo, si illinatur baculo, & is in domo, vel sub lecto ponatur, conueniunt ad eum omnes pulices, ex Rhafi.

Ranas congregare.

Fel capræ in terra, in vase aliquo repositum, ad se dicitur ranas congregare, si gratum aliquod in eo reperiant.

Quomodo animalia ebria manibus capi possint.

C A P. VIII.

DIXIMVS illicia, nunc inebriationes, quamplurima enim sunt simplia, quæ inebriant, vt manu capi possint consopita, & quia ex animalium varietate varia sunt, quæ hunc effectum præstent, ideo seriatim singula trademus. Et primò

Canes quomodo inebrientur.

Athenæus coruos, & canes inebriari œnutta herba dicit. Sed Theophrastus, à quo excepit, radix œnothera data ex vino, mitiores, hilarioresq; mores reddit, vnde

cenutta vocabulum corruptū est, est autem Theophrasti cenothera, vt diximus, rhododaphne. Sic quoque

Asini inebriantur,

& consopiti nō solum capiantur, sed si excorientur, vix sentiant, nedum expergiscantur, quod eueniet cicuta; nam eam depasti tam graui somno premuntur, vt stupidi, sensuq; priuati videantur. Sic etiam

Equi stupidi redduntur.

Hyoscyami semine, si illud in hordeo eis præbueris, & a deo veterno obducūtur, vt semimortui iaceant per dimidium diem; sycophanta quidam quum nummi deficerent eum in itinere, quibusdam ambulonibus eiusmodi semen obiecit, qui quum fere extincti obdormiscerent, & omnes graui dolore afficerentur, accepta stipe, remediū finxit: nares aceto perungendo viuos reddidit, & sic coeptum iter prosequuti sunt. Eodem modo

Pardi inebriantur.

Docet Oppianus modum, & quomodo ebrii capiuntur. In Libya, vbi primum fontē animaduenterunt, & vnde pardales prima luce bibere solent, eo venatores noctu permultas amphoras succo vini plenas offerunt, & inde non procul stragulis tecti sedent: cæ autem ardentertiontes ad fontem accedunt, & simul vt vino, cuius portione studiosæ sunt, sitim explerunt, primo saltatione ludunt, deinde obdormientes humi sternuntur: itaque grauiter dormientes, nullo negotio comprehenduntur. Si scire aues quomodo

Simia ebria capiantur,

Athenæus refert, vinum etiam bibere, & inebriatas aliquando capi. Simias & quadrupes quibus digiti sunt, negant crescere, assuetas meri potu. Plinius. Nec aliter

Sues insaniunt

Hyoscyamo deuorato. Inquit Ælianus, huius herba pastu resoluuntur & conueliuntur apri, natura vini, ideo mentem, caputq; infestans. Fiunt etiam

Elephantes ebrii,

Athenæus refert ex Aristotelis libro de ebrietate, elephantes inebriari vino. Et Ælianus elephanto, qui ad bellum

bellum certat, vinum præbent ex vitibus, & factitium ex oryza, vt audaciores efficiantur. Nunc docebimus quomodo consopitæ aues manibus capiantur. Vnde si scire aues

Aues vt manibus capiantur.

Allium nasci in aruis tradit Plinius, alium hoc vocant, quod aduersus improbitatem alitum depascentium semina coctum, ne renasci possit, abijcitur, statimq; quæ deuorauere aues stupentes manibus capiuntur, etsi paulum commorauere consopitæ. Si vis autem

Perdices ebrias venari.

Boetius ita docet. Perdices facile venaberis, si farinam vino madefactam obieceris, omnis enim auicula facile corripitur. Si vinum aqua dilutum, vinosius tamen in vasculis apposueris, vbi enim vel parū inde ebiberint, soporantur, & obstupescunt. Docet idem

Anates quomodo manu capiantur.

Si quis locum obseruet, ex quo anates potum sumant, & euerfa aqua vinum nigrum immittunt, vbi id hauserint, cadent, vt prehendi facile possint. Idem & vini fex præstat. Capiuntur

Anates, & alia aues ebria

quibusdam escis, quales sunt lappæ semina in locum sparsa, vbi aues frequentant, quibus ingestis ita afficiuntur vertigine, vt manibus capi possint. Alia esca. Tormentilla in vino bono coquatur, tum in eodem coctâ frumenti, aut hordei semina proijcitur in spatium auibus capiendis destinatum, sic enim tormentille frustula cum seminibus deuorabunt, & inebriatæ quum volare nequeant, manibus capientur. Hoc autem commodius fiet, quum cælum præfrigidum & nix profunda fuerit. Vel per locum auibus frequentari solitum, hordei grana disperge, deinde ex farina hordeacea felle bubulo & seminibus hyoscyami medicamentum instat pultis parato, quod in tabella eis expone, eo gustato aues adeo grauantur, vt volare nequeant, & manibus capiuntur. Vel hordeum, fungos, quos à muscis denominant, cum seminibus hyoscyami misce, &

pultriculam inde factam tabella expone, vt supra. Vt
possis

Cornices manu capere,

Inter carnem nucem vomicam tritam immisce. Possu-
mus idemdem pisces inebriare. Oppianus docet ali-
qua. Vnde si volumus

Pisces inebriare,

Cyclamino eueniet. Diximus enim cyclamino ebie-
tatem augeri hominibus. Inquit enim:

*Atque duos miscent panes radice subacta,
Quam cyclaminon dicunt, candore perunctam
Et pinguem: pisces vastum labuntur in aquor,
Retia profiliunt, curuos male olentia circum
Pharmaca collinsunt scopulos, temerantq; latebras,
Et maculant fluctus, & post ad littora cursum
Cum cymba reuocant, latebras dispersa per omni
Pharmaca mortiferas diffundunt longius aura,
Et caput atq; oculi caligant, membra venenis
Nutant, hi scopulis duris, latebrisq; pauentes
Profiliunt, infecta magis sunt aquora lata,
Pharmakon aquoreas late penetravit in undas,
Hi veluti vino pressi vincuntur odore, &c.*

Peculiaris animalium venena declarare.

C A P. IX.

NE putes velim venenū vnum animalia cuncta in-
terficere posse, sed vnumquodq; suum venenum
habet, imo quod vni venenum, alteri salutare, quod
nec qualitatis ratione euenit, sed peculiaris naturæ. Vt
si numerare velimus

Venena, quibus canes occiduntur,

Dioscorides chamæleontem album cum polenta sub-
actum canes, sues, & mures occidere dicit, aqua, vel oleo
madefactum. Theophrastus canes & sues cum hordea-
cea farina subactum aqua & oleo, sed cum brassica sues,
Nux vomica, quam ab effectu caninam dicunt, si li-
ma teratur, eius tenuis elimata scobs carne, butyro,
vel pingui aliquo cani glutienda datur, trium horarum
spatio